

**Quaestio medica, an microcosmi vita, motus mere mechanicus? /  
[Ambrose Hosty].**

**Contributors**

Hosty, Ambrose, -approximately 1781.  
Cantwel, André, -1764.  
Université de Paris.

**Publication/Creation**

[Parisiis] : [Quillau], [1749]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/b5v7a3mf>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

# D. O. M. QUÆSTIO MEDICA.

*QUOD LIBET ARIIS DISPUTATIONIBUS,  
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimæ-tertiæ  
mensis Januarii, anno Domini M. DCC. XLIX.*

M. ANDREA CANTWEL, Regiæ Societatis Londinensis  
Socio & Chirurgiæ Professore designato, Doctore  
Medico, Præside.

*An Microcosmi vita, motus merè mechanicus?*

## I.



UI hominem attentiū rimatur, summā conditoris sapientiam emirari nunquam desinet; in eo enim orbis universi compendio, stupendam artem, quæ in aliis rebus dispersa est, quali in puncto collectam conspiciet. E duabus constat substantiis, animâ scilicet & corpore, illa cogitans, partium expers, hæc cogitationis incapax, ex solidis fluidisque partibus coalescens. Solidæ sunt, quarum elementa intimiori contactu junguntur, & sibi invicem cohærent, quām ut ab actionibus vita sanæ divelli queant. Partes verò harum primariæ ad quas ultimā suā mutatione devehuntur, elementa, seu atomi dicuntur, conceptu saltem, primæ, minimæ, divisibiles, terreas, ex quibus repetitis, sibique appositis exurgit totum, & quæ corporis cujuscunque simplicissimæ sunt. Harum plures secundū longitudinem adunatae villos, seu fibrillas efficiunt; sicut ex pari villorum per extrema coalitu sit pars similaris in longum extensa, latitudinis expers sub fibræ nomine quæ corpus est filiforme, teres, diaphanum, elasticum. Partes huc usque recensitas absque latitudine spectavimus, verū si duæ fibræ sibi mutuò applicentur parallelo ductu, ex eorum latitudine, licet infinitè parvâ, fiet membranula omnium sanè minima, sed in longum, & latum extensa, quā ultimā dimensione crescente, crescit & fibrarum pari direktione adhærentium numerus, crescit & membranæ soliditas, quam si involutam fingas, vasculum habebis omnium simplicissimum. Si plura simul secundū axem adjungas vascula, membranam iterū conficies sed compositam, convolve, tubus erit ex membranâ fibroso-vasculosâ, sicque ex membranis vasculosis variè adunatis, & convolutis fiunt vel maxima corporis vasa, aorta scilicet, & vena cava, quarum prior per varias quas gignit propagines sanguinem ex corde ad corporis extrema traducit, ubi totidem venarum radicibus excipitur & undique collectus in truncum omnibus communem effunditur; per auriculam dextram ventriculum, pulmones, &c. in aortam denuò reversus. Cætera cujuscunque generis, vel ordinis vasa ex his pullulant, sive secretoria, sive excretoria, vel in illis inservuntur. Haud impari artificio musculi, viscera, tendines, cartilagine, ossa, & reliqua corporis solida ex membranis fibroso-vasculosis conflantur, neque aliud compositionis discrimen, quām quod à majori, aut minori partium cohæsione aut fibrillarum numero repetendum. Si dubites, ad mollitiem in puerō, in adulto firmitatem, in senibus earumdem partium duritiem & rigiditatem attendas, in puerō omnia fluidis redundare mollitiemque affectare videbis, in seno contrà rigescere omnia & quasi lapidescere. Sicut ex sanguiferis vasa cætera, ita & ex sanguine humores omnes. (Si chylum excepitis). Ille singula perlustrans corporis puncta passim succum amissis restituendis idoneum apponit, suæque scaturiginis memor ad chylosim in ore salivalem, in ventriculo gastricum, bilem in hepate, alibi alias, ad varios usus secernit humores, vel foras expellit inutiles. Sed hos frustæ quæsiveris effectus, si quiescens in vase liquidum tibi finxeris. Peraguntur omnia per motum in corpore, hinc agentium solidorum, & fluidorum in se mutuo impetu enascitur vita, enascuntur variæ functiones.

## I I.

**F**ACULTAS in corpore humano est ea partium dispositio peculiaris quæ ad certos producendos effectus requiritur, & sufficit. Effectus illi operationes, functiones, actiones dicuntur, quæ nihil aliud sunt quām certi motus ad individui conservationem ordinati; ad tria revocantur genera, vitales, naturales, animales; vitales quibus positis ponitur vita, cessantibus autem cessat. Hujusmodi est motus cordis quo sanguinem per venas redeuntem excipit. Per arterias ad corporis extrema pellit. Sed hic motus tria supponit, liberam nempè cerebelli, & nervorum in cordis fibras musculares actionem, sanguinis per venas ab extremis redditum, & liberum denique per pulmones iter. Absque his itaque cordis vitalis

actio nulla, his integris quieto tamen corde machina iners. Hinc sanguinis circuitus, respiratio, spirituum animalium in cerebello secretio & per nervos motus, totidem sunt vitales functiones à se invicem pendentes, & vita perinde necessariae. Quenam harum prior frustra queris. Descripto namque circulo, nec principium invenitur nec finis. Ex his patet non omnem cordis motum vitalem esse aut ad vitam sufficere; sic, verbi gratia, subsultus convulsivi quos edunt corda diversorum animalium avulsa, vitales minimè censendi, talibus enim non sit motus sanguinis progressivus, qui solus vitam constituit. Naturales sunt quas ex naturae instituto & necessitatis sensu omni animali insito, perficiimus, ut ea, quæ vitae munieribus quotidie avolant, resarciantur. Corpus enim animale non secus ac aliæ quæcumque machinæ in motu positæ movendo deteritur, agendo enervatur, communicando motum amittit, impingendo atteritur, immò dum muniis quibus destinatur indefinenter incumbit, penitus rueret nisi forinsecus reficeretur. Reficitur tamen tot & talia apponendo quot & qualia amiserat. Hinc cum nihil ex triplici regno desumi possit ejusdem cum amissis præcise indolis, necesse est ut varia quibus vescimur, varias subeant mutationes. Unde partium nostrarum dotes suscipiant, tales autem nanciscuntur manducatione, deglutitione, digestione in ventriculo & intestinis, chyli seu digesti secretione, distributione, fœcum expulsione, &c.

Animales denique quibus mutuum corporis & animæ innotescit commercium, & sunt certi motus in corpore qui has potius quam illas excitant in animâ cogitationes, & vicissim; consequenter ad tales hujus cogitationes, hi præ cæteris producantur in corpore motus. Hujusmodi sunt sensus, animi affectus, motusque voluntarii. Absque his vita unicunque supereft. Idiota æquè vivit ac philosophus, nec quispiam vitâ privatur, vel ob imbecillitatem functionum quæ ab animâ pendent, vel ob debilitatum animæ cum rebus externis commercium.

Multò magis ad vitam conferunt naturales quæ tamen non nisi mediata eam constituant, quatenus scilicet aliis functionibus subministrant, famulantur, & undè corporis damna resarciantur, suppeditant. Varia morborum genera, urbes obfessæ, authorum testimonia, jejunia absque vita interitu satis diù tolerari posse comprobant. Aliter de vitalibus censendum est, quarum vel minimum exercitium ad vitam vel minimam requiritur. Sed ut harum functionum consensus & concursus vita essentiam per se non constituant, ita tamen consentire mutuo debent, si vita nobis perfectissima ideam exhibere est animus, harum omniam integritatem atque concursum vita perfectissima seu sanitas ante oculos ponit. Nec minus ex recentiis sequitur varios esse vita gradus. Perfectissimam seu sanam in quâ omnes facilè, commode & constanter exerceri possunt functiones. Medium seu morbosam in quâ sit alicujus functionis laetio, minimam denique seu morti proximam quæ cum cordis & vasorum actione sufflaminatur. His patet sanitatis, morbi & mortis natura, ipsamque vitam nihil aliud esse quam exercitum actuale vel revocabile omnium, vel quartundam corporis functionum.

### III.

**U**T vita ex mutuâ consentientium organorum actione coalescit, ita si mechanicè moveantur illa, vitam quoque mechanicam esse dicendam, prouum est concludere. Omnes porrò actiones, quibus peragendis hæc consentiunt instrumenta, à circulatione pendent; hæc ita pro vita fonte atque origine haberi debet, ut, non solum eâ positâ cæteræ ponantur actiones, sed auctâ augescant, imminutâ vero eodem passu decrescant.

Verum in peragendis omnibus quæ ab eâ pendent actionibus, à mechanicis legibusne vel minimum discedit circulatio. Quotquot enim vel ad vitam protrahendam, vel ad corpus fulciendum, & expurgandum, vel ad speciem propagandam inserviunt functiones, ex omnes vel à secretione, vel ab alteratione quâdam humoribus impressâ pendere satis vero congruum est. Ipsa porrò secreteio animalis, quâ omnes generantur corporis humores, ipsumque nutritur, liquidum à liquido disjungitur ac segregatur, mechanicum circuli sanguinis consequens est. Organa secretoria cujuscumque generis & ordinis, sive loculi sint glandulosi, cribrosi, spongiosi, sive arteriarum extremæ propagines, vel vasorum congeries in modum retis contexta, & in giros convoluta, sive denique pori meatusque vasorum, cum vasis sanguiferis continuo alveo communicare nemo negabit. Sanguinem vi cordis & arteriarum ad singula corporis puncta propelli, ejusque motum in diversis a corde distantiis diversum, in remotissimis tamen intestinum quam progressivum minimum esse. Fluidi minus agitati vel quiescentis partes ejusdem gravitatis, & indolis ab aliis separantur & invicem coalescent. Denique organorum secernentium diametros diversas esse certum est. His positis necessariò sit secreteio; nam fluidum pelli nequit per canalem quin tubos ex hoc canali prodeentes subeat; ergo dum sanguis per arteriarum tractus vi cordis pellitur particulae laterales ejusdem, vasorum lateralium ostiola ingreduntur, modò tamen horum diameter major sit maximâ particulae subintrantis diametro, vel luminis parvitas majori particulae motu compensetur, cum autem diversæ sint in sanguine partes, aliæ crassæ, densæ, graves, quæ fluidi axem semper occupant, aliæ tenues, fluidæ, aqueæ, quæ ad latera motu pelluntur, mitum non est, diversas partes sanguinis in diversis organorum ostiis recipi, nunquam vero partes tubas quæ axem semper tenent, & crassiores sunt quam ut ab organis in statu naturali admittantur; patet ergo sanguinem per vasa sua moveri non posse quin ex ejus sinu varii recedant humores. Cur autem ex unâ communâ sanguinis penus semper locis constanter eadem peculiaria generentur liquida, quamvis hic loci non sit inquirere tamen id oriri videtur ex organorum fabricâ, sanguinis ad organum appell-

3

lentis indole, ejus in minimis retardatâ velocitate; vasorum proportione organicâ, non tamen figurâ analogiâ, cuiuslibet particulae pondere, & mole diversis. Angulorum in quos incidit diversitate, flexionum quibus occurrit frequentiâ, tandem ductus excretorii insertionis loco. At si secretio mechanice peragitur, quot à secretione functiones pendent, tot mechanice peragi consequens est: hinc generationis historiam, hinc digestionem penè totam, hinc lotii, bilis, succi pancreatici natales expediveris. Forsan & hinc nervorum latitatem in abstruso actionem, tensionem fibrarum tonicam, enodare non immerito speraveris, & abstrusorem adhuc actionis muscularis causam detegere, cuius certè quæcumque sit causa, à circulatione pendet, adeoque nonnisi mechanice enascitur, sed certius adhuc mechanicas ita regitur legibus, ut non aliundè pulchriora repetere possis mechanicas instituta, quod aeternâ laude dignissimis evicit theorematisbus *Alphonsus Borelli*.

Animales functiones ex eodem deducere fonte arduum magis opus. Si quid autem in tâm spissâ tenebrarum caligine conjectari liceat, eas, præter merè spiritales, ab animâ tanquam potentia motrice minimè oriundas esse censeo. 1°. Absque certâ organorum, cerebri, & nervorum dispositione eas fieri non posse constat apud omnes. 2°. Totidem sunt motus, siquidem fiunt in partibus, & partium ope, & à potentia motrice. 3°. Nec intelligimus quomodo immaterialis substantia in materiam agere, & pro potentia haberipossit aliâ quam determinatrice. 4°. Functiones illæ ad vitam eatenâ conferunt, quatenus physicè vel mechanice exercentur.

Quid jam de alteratione succorum externorum addamus, unde alimenta in chylum, chylus in sanguinem famulante vasorum actione vertuntur. Id totum mechanicum dici debet. Eâdem enim videoas adaugeri ratione, quâ motus circulationis increscit; hinc corpora quod magis exercita, eò magis alimenta conficiunt; quod languent magis, vel respirationis vel circulationis organa, eò minus in animalem ingesta mutantur natu-ram.

### I V.

**I**n circulationis mechanismo quidquid machinam constituit hydraulico mechanicam abunde reperies. Potentia scilicet in impellendo liquido occupata, ipsique oppositæ resistentiae ita in idem consentiunt, & se se mutuo contemperant, ut ex certâ atque determinatâ velocitate, certi nascantur effectus; hinc scilicet nec violentior in partes ipsi negatas sanguis irrumpt, nec tardior quas benigno rore debeat perfundere, recusat aliuere. Hunc verò consensum si requiras, & hunc pariter ex partium structurâ, & ex rerum phænomenis facilè evinces. Potentiam scilicet primariam exhibet vitalis embolus in pericardio liber undiquâ, alternâque contractione acceptum refundens sanguinem, & ita miro fibrarum artificio in omnem sensum ab apice ad basim, à circumferentiâ ad axim constrictus, ut quaquaversum pressus sanguis unicam arteriarum viam affectet; hanc scilicet clauso per valvulas alio effugio, solam perviam. Truditur ergo inde ad totum corpus nec vi mediocri sanguis. Primariam cordis actionem adjuvat, concurrens & secundaria arteriarum actio. Illæ scilicet quod cordi propiores, eò elasticæ magis, in quoquaque vitæ tempore, sanguine replete semper habendæ sunt. Hinc truso à corde sanguine, necessariò debent ampliari, quæ postea, dum semper sanguinis admissi portio per venas effluit (cessante interim inflatoque per sanguinem corde) in eum reagunt, repelluntque solâ elaterii lege, quâ corpora quoquaque elasticæ pristinum distenta statum recuperare affectant. Hinc vim à corde acceptam sanguini reddunt, rursus alternis distendendæ, iterumque alternis contrahendæ. Nec resistentiarum tibi minus apparebit, si vel ad oculum nudum partem certâ Ruyshianâ rubentem inspexeris; hinc quâ ratione spatiū crescit, eâdem multiplicantur parietes, multiplicatur attritus; hinc & velocitas decrescit, & per tot vasorum millia summa dilatationis & constrictionis alternæ divisa æquabilitem facit sanguinis influxum, sed & tardiorem. Adde & sanguinis arterias in ipsâ contractione distendentis renixum, unde quod propior cordi arteria, eò plus corde contracto sanguinis sibi servat, eò plus reddit eo dilatato, sive majores patitur dilatationis & constrictionis vices. Hinc tot pendent phænomena quibus enodandis frustrâ insudabit mechanicarum rudis. Etenim quandiu vivimus, id nobis semper in circulatione obversatur; quod sanguis vi cordis sinistri in aortam propulsus antecedentem fluidi molem premet & vasorum parietes, unde duplex sequitur effectus, morus nempe progressivus, in toto vasorum systemate arterioso & venoso, & subita arteriarum dilatatio ad tactum sensibilis seu pulsatio, ex quâ major sanguinis copia quam ante in ipsis contiaetur, subito dein relaxatur cor, contrahuntur arteriae, digitum tangentis fugiunt, iterum brevi replendæ. At sic se se hæc omnia excipiunt, ut si minuatur unius actio, fatiscant & aliæ, minuanturque phænomena, ut observat in hemorrhagiis, systolis diastolisque vices imminui *Halesius*; hinc in exercitio omnia videmus augeri, quia quem citius sanguinem cor accipit, citius pariter acceptum reddit. Interea licet perpetuo motu per venas feratur sanguineus latex, nulla tamen alterni hujuscemotus in iis reperias vestigia. At cur venæ non pulsent altioris forsitan sed mechanicae tamen est indaginis. Decrescit enim systolis & diastolis alterna diversitas, in majori à corde distantia, ita ut pro nihilo haberi debeat, cum sanguis ad venas pervenerit, hinc pressio lateralis in ipsis omni tempore æqualis. Sic igitur in circulationis opere cuncta legibus reguntur mechanicas, ex quibus cordis & vasorum sanguinem pellentium vires supputantur, ejusdem aortam subeuntis moles & velocitas, in diversis denique alveolis virium deperditio. Uno verbo circulationis effectus est machinæ hydraulicæ alternis motibus agita-

4

te, omnis autem machinarum effectus mechanicus est, & si mechanismus nos partim latet, plures tamen in eâ deprehendimus mechanices leges, cætera soli construenti nota.

V.

**S**i quis, in jam dictis aliud quid deprehendat præter machinas ad motum paratissimas, ita fabricatas ut ipsis semper præsto sit sui motûs causa, vis, & directio, is, sanguinis motum absque mechanices legibus fieri contendat; id ipsis supererit explicandum quem in finem tanta organorum diversitas, eorumdem successiva & imperterritato ordine actio cur uno moto quiescit alterum, cur valvule? Cur tanto artificio constructæ? Nonne eosdem hic ac in Anthliis, præbent usus? Nonne parietum contractio emboli vices gerit? Cur adeò densa, compacta, multiplex, & in omnem sensum contractilis fibrarum cordis muscularium series? Cur tam facile irritantur? In promptu ratio est, ut validius, facilis, sese contrahant & sanguinem undique comprimant. Nonne in hoc sanguinis circulo adamum servatur ista mechanices lex, nempe ut vires sint resistentiis superandis proportionatae? Hinc sinuum vis contractilis minor, auricularum paulò major, ventriculorum maxima in sinistro quam in dextro adhuc major, ita ut semper sit spatio percurrente, & partibus dilatandis proportionata; ergo iste virium excessus ex ipsam partium strueturæ mechanice deducitur; ergo & ab eadem tota motus quantitas. Ex solâ auricularum positione mechanices legibus motum hunc perpetuari constat; eas enim utriusque venæ, cordisque sinus, ostiis ita interposuit summus rerum Opifex ut sanguis per venas confluens, à ventriculis ad expellendum contractis exclusus, illis, veluti secessibus, aut attiis quibusdam, exciperetur, cum alioquin in vasis subsistere cogeretur, motusque sequentis interciperetur non sine magno totius machinæ incommodo. Aliam hujus motus nunquam feriantis causam à me frustra quæres præter vim fibrarum motricium, quam ex mechanica conformatio[n]e suâ, & sanguinis arteriosi, liquorisve nervi, universum illarum extum irrigantibus undis habent, tum & impulsu[m] sanguinis in cavitates eorumdem, veluti stimulum motusque incitamenta ita ut effectus fiat causa & vicissim, neque aliam cognitu possibilem aut Medico utilem facile crederem, causæ enim rerum primariae nos penitus latent, inque iis indagandis operam, & oleum perdit physicus, & si eas detegant Medici, intelligentes erunt, in quas nihil poterunt. Id tantum scire possunt, & debent, quod ex debito solidorum cum fluidis equilibrio sequatur functionum integritas, quæ conservari nequit nisi fibris adsit tonus ad motus secundum mechanicas leges edendos, aptus, fluidisque legitima crasis. Ergo sicut morbus ex motibus imminutis vel depravatis, & legibus mechanices contrariis, ita pariter status morbo oppositus, seu sanitas in motu legitimo & juxta easdem leges ritè peracto.

*Ergo Microcosmi vita, motus merè mechanicus,*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Petrus Poissonnier, Profes- M. Guillelmus Ruellan,  
for & Censor Regius.*

*M. Antonius le Camus.*

*M. Petrus Arcelin.*

*M. Joannes Besse, Dotarie  
Hispaniarum Reginæ, dum  
viveret, Medicus Primarius.*

*M. Antonius de Jussieu, Regi  
à Consiliis & Secretis, Re  
gie Scientiarum Academie,  
Regiarumque Societalium An  
glie & Praessie Socius, Bo  
tanices in Horto Regio Pa  
risiensi Professor ac demon  
strator.*

*M. Claudius Bourdier de la M. Petrus Chevalier.  
Mouliere,*

*M. Joannes-Baptista-Thomas  
Martineng, Saluberrimæ Fa  
cultatis Decanus.*

Proponebat Parisiis, A M B R O S I U S H O S T Y, Hyberno-Tua  
mensis, Doctor Medicus Remensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medi  
cinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1749, à sextâ ad meridiem,